



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **MAGNOPERE CURAE** IN NORVEGIA NUNTIATURA
APOSTOLICA CONSTITUITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Magnopere curae est Nobis ad effectum consilia adducere, quibus putamus commune religionis et Civitatis bonum ubicumque terrarum conquiri comparari foveri posse. Quare morem Apostolicae Sedis perantiquum sequimur, quae in variis orbis Nationibus per suas Nuntiaturas, hic illic opportune conditas, providenter effecit ut publicae necessitudinis rationes sibi cum qualibet Civitate iunctae confirmarentur confirmataeque prosperarentur. Hac ipsa de causa, nominatim Norvegiam cogitantes, vi et potestate Nostra Apostolica per has Litteras Nuntiaturam Apostolicam illic condimus eique officia privilegia indulta tribuimus cuiusque Legationis Apostolicae propria. Quae singula autem edicimus, statuimus, decernentes ut Apostolicae hae Litterae, in modum Brevis maioris expeditiae, vim suam et effectus nunc et in posterum habeant. Contrariis rebus nihil obstantibus. *Datum, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die I mensis Augusti, anno Domini MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana